

deinde falsis utrisque positis & inventis comparatorum
differentiis

$$200 \quad + \quad 29600$$

$$400 \quad + \quad 69600$$

duas fabricas feci. Prima sic fuit, primó multiplicans
200 per 69600 & 400 per 29600 feci 13920000 &
11840000. deinde 13920000 — 11840000, itemque 69600
— 29600 fuerunt 2080000 & 40000. denique factorum
differentia 2080000 per differentiarum differentiam
40000 divisa dedit in quoto verum numerum 52. Se-
cunda fabrica sic fuit, primó ut 69600 — 29600 hoc est
ut 40000 ad 29600 sic 200 est ad 148. deinde 200 — 148
sunt 52, qui numerus verus est. Eandem analogiam in
omnibus hujus generis exēplis semper probavi. Vtro-
bique igitur veritas quidem par fuit, sed numeratio-
nes illíc quinque operosiores, híc quatuor minus ope-
rosæ & breviores fuerunt. Brevitas, brevis inquam,
& facilitas híc multó major quám illíc fuit. Compen-
dium libenter arripui, exposui, expositionem meam
regulam veri appellavi: nam eam á vulgata regula falsi
præceptis distinctam, nomine quoque distinguere li-
buit. Vulgata regula falsi non semper falsum ponit, at
semper verum invenit. Non semper falsum ponit, in-
quam ego: quid enim si prima vice verum numerum
conjeceris? an ideó minus quæstio proposita, regulæ
falsi quæstio futura est? Nomen regulæ falsi hæcenus
usurpatum non refuto, potest enim hæc regula ex fal-
sis positis singulari quodam modo verum invenire, &
inventum concludere: sed regulam falsi recté quoque
regulam veri, quia semper verum invenit, dici postulo.
Præcepta omnia quæ veritatē aliquam generalē docent,
ex ipsorum fine generali regulas veri dice posse, nemo
mco